

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Rationem præcepti ipse Deus dedit, qui Judæos ad iter voluit paratos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

244 De CALCEIS HEBRAEOR.

calcei non detriti dicuntur, eadem  
Ies. 48. 22. ratione, qua *non fitivisse* apud Je-  
saiam legimus, *cum Deus eos duce-*  
*ret per deserta loca*, quia nimis  
ipsis abunde suppeditabat, quo si-  
tim possent explere.

Exod. 12.  
11. 12.

VII. Subiit mirari eruditos ho-  
mines tam varia divinasse, cum  
rationem istius ritus ipse Deus  
indicet. *Sic autem, inquit, come-*  
*detis illum (agnum.) Renes vestri*  
*erunt succincti, calceamenta in pedibus*  
*vestris, & baculi in manibns vestris,*  
*& comedetis illum festinanter: Pascha*  
*illud est Jehovæ: Et transibo per ter-*  
*ram Ægypti nocte hac, & percutiam*  
*omnes primogenitos in terra Ægypti*  
*ab homine usque ad jumenta. Res*  
*est nota, & narrata fusiis, post*  
*magnas clades, quibus Ægyptios*  
*affecerat Deus, ut ex sua ditione*  
*Hebraeos dimitterent, ultimam ea*  
*nocte voluisse experiri, ac tot ho-*  
*minum & jumentorum mortibus*  
*universam Ægyptum reddere fu-*  
*nestam, ut hac ratione Ægyptii,*  
*nihil magis cuperent, quam ut*  
*citissime exirent Hebrei. Præ-*  
*videbat Deus, quod & factum*  
*est, ut tanta strage territi Ægyp-*  
*tii*

ti, magis expellerent eos quam di-  
mitterent tranquille. Volebat ergo  
ut, dum eam noctem agerent quasi  
festam, ad iter accincti & parati es-  
sent, & non tantum lumbos haberent  
succinctos, & baculos in manibus,  
qui viatorum in Oriente fuit habi-  
tus, & eorum qui iter difficile &  
operosum aggrediebantur, verum  
etiam calceatos pedes. Calceos  
olim in itineribus usitatos fuisse,  
Gibeonitæ sunt exemplo, qui ex  
*מִלְאָה כַּלְבָּיִן calceis diversis solorum Ies.9.5.13.*  
fructu suppactis, fidem facere volue-  
runt, se longo itinere ad Israelita-  
rum castra contendisse. Quare Deus,  
cum iis omnibus instructos vellat  
Hebræos, antequam Paschale in-  
choarent convivium, etiam de  
calceis præcepit. Hebræi veteres,  
sicut opera forensia curabant cal-  
ceati, domestica tamen discal-  
ceati objerunt, uti veteres domi  
plerumque fuerunt discalceati.  
Quod etiam à nostris moribus non  
alienum est. Licet enim omnes,  
cum aut versamus in publico, aut  
rebus forensibus operam damus,  
aut iter conficimus, calceos induam-  
us, domi tamen crepidis utimur.

L 3

Pariter